

05

A

1159





I. N. D. N. J. C.
DE

CONCORDIA

ATQVE FRATERNITATE
SPIRITUALI S. ECCLESIA-
STICA

DISSERTATIO THEOLOGICA,
Quam

Annuente Supremô Numine
In celeberrima VVitebergensi Academiâ
Sub Præsidiô

Viri pl. Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. ABRAHAM CALOVII

S. S. Th. Doctoris, ejusdemq; Prof. Publ. longè celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori, & Consistorii Ecclesiastici Circuli Electoralis Assessoris gravissimi,

Dn. Praeceptoris & Promotoris sui summo pe-
re observandi

publico examini submittit

MICHAEL BÜRICH, DANTISCANUS

Borussus, Autor & Respondens.

Ad diem 23. Octobris, horis antemeridianis, in Auditorio
Majori.

Excudebat MICHAEL Wendt/
ANNO cl^o l^o LI



6511 A 50

In Sancto Nomine JESU!
Disputationis Theologicae,

De
CONCORDIA ATQUE FRATERNITATE
ECCLESIASTICA.

THESIS I.



I fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colite, gravisima Apostoli vox est *Rom. 12. v. 18.* digna sanè, quam Christianorum quivis sibi quam maximè commendatam habeat. Cum enim adspirandum nobis sit, & manibus pedibusq; contendendum eò, ut ad divinam similitudinem quam proximè accedamus, qui ad imaginem Divinitatis singulari gratià conditi sumus; DEUS verò sit DEUS pacis, *1. Cor. 14. 33.* Spiritus item S. sit Spiritus pacis, benignitatis & lenitatis *Gal. 5. 22.* quid æquius, quid officio Christianismi convenientius, aut quid laude magis dignum præstabimus, quam si animum à *Philoverneia* & concertationis studio alienum, pacis verò & concordie studiosissimum in nobis deprehendi passi fuerim? Ipse DEI filius beatos dixit pacificos, *Mat. 5. v. 9.* nec quidquam diligentius discipulis suis genuinis inculcasse legitur, quam dilectionem, *Job. 13. v. 34. c. 15. v. 17.* Ipsa Sancta Christi Ecclesia est regnum pacis, *Pf. 62. v. 3. Esa. 2. v. 4. c. 9. v. 5. c. 11. v. 6. Rom. 14. v. 17.* paci ergò studeamus, qui hujus regni membra esse volumus. Et hoc ipsum est, quod sæpè tam seriò requirunt nostri Doctores, tamqve sollicitè inculcant.

Tb. II.

Cæterùm non sunt isthæc extendenda ultra scopum, neqve de quavis concordia & pace intelligenda, sed audiendus hinc cum primis Spiritus S. ceu optimus verborum suorum interpres. Pacem sanè civilem atqve unionem Politicam, quis est qui improbet,

quis est qui dissvadeat? At verò quamvis in Ecclesia pacem, quamvis in rebus spiritualibus, & Religionem atque fidem Christianam concernentibus, concordiam amplexandam esse, id nec Spiritus S. innuit unquam, nec ex sententia ejus inculcarunt docueruntve Nostrates Theologi. Ipse Apostolus eam, quam suprà produximus, ad monitionem minimè illimitatam reliquit, sed duabus restrinxit conditionibus; SI FIERI POTES, ait; & rursus: QUANTUM IN VOBIS EST; observante id *Dn. D. Huttero b. m. in Præfat. Irenici*. Nempe si per pacem illam atque concordiam Ecclesiasticam vel periclitetur veritas *Zach. 8. v. 19.* vel injustavis justè depellenda fuerit, tùm illa salvâ atque illasâ conscientiam obtineri ne utiquam potest. Illic enim valet istud Apostoli: Adversus veritatē nihil omninò possumus, pro eâ omnia debemus, *2. Cor. 13. v. 8.* Hic verò obtinet tritum illud: Pace vix diutiùs frui cuiquâ licet, quam vicino libeat.

Tb. III.

Atque ex his & similibus facilè liquet, quid statuendum sit de istiusmodi moliminibus, quibus diversas, easq; in ipso fidei fundamentò discrepantes Religiones conciliare aut olim tentarunt plurimi, aut etiamnum hodiè multi tentant curiosissimè. Notum est, quid jam tum tempore Lutheri egerit *Philippus*, ut initio in Papi-
smum, ita postea in Calvinismum indulgentior. Legatur de eò *D. Hutterus in Concord. Concord. p. 333.* & *D. Affelmannus in Dissut. de fugiendo Philippismo, nec non pl. Rev. & Excell. Dn. Præses Tom 1. super A. C.* Circà initium certaminis Sacramentarii quid non tentarunt *Zvingliani* pro introducendo Syncretismo? Loquitur id *Colloquiū Marpurgense, inter Oecolampadiū, Zvingliū, Bucerū* ab unâ, & *Luthe-
rum, Justum Jonam, Melanctonem, Andr. Osiandrum & Brentium* ab altera parte institutum: Loquuntur *Buceri* ad *Ernestum Brunsvicensem & Lüneburgensem Ducem* literæ; Testantur tot *Philippi Hassie Landgravii* ad *Lutherum, Philippum & Brentium* exarata Epistolæ, tot scripta *Irenica* à *Zvinglianis* publicè sparsa. Et quid non egerunt iidem in *Conventu Smalcaldicò*, anno 1531. inque *comitiis Francofurtensibus*, & anno 1570. in *Poloniâ in Conventu Sendomiriensi*? Præterea laborarunt pro sanciendo Syncretismo *Hen-*
ricus.

ricus Borbonius, Rex Navarrae Anno 1583. teste *Thuanò lib. 79.* & noviter Anno 1615. *David Pareus & Heidelbergenses, Johannes Dureus, Conradus & Johannes Bergii, Johannes & Ludovicus Crocii, & postillos Amyraldus, & Godofredus Hotto, licet conatu frustraneò.*

Tb. IV.

Hodie literatus orbis novos vidit Pacificatores, eosque, quod dolendum, tales, qui invariatae A.C. membra dici volunt; *M. Henricum Nicolai*, cujus prostat Irenicum, seu de differentiis Religionum conciliandis succincta commentatio; & cum primis *D. Georgium Calixtum*, qui hinc inde in scriptis suis tam Pontificios, quam Calvinianos in societatem & unionem spiritualem recipere velle videtur, id quod inter alia apparet ex digressu ad art. nov. ex *syn. ejus ad Concil. Trid. ut & Praefat. & Postfat. ad Symbola & Confessiones primitivae Ecclesiae*, quae anno 1649. excudi fecit: *desiderio item ac studio pacis Concordiae Ecclesiasticae nuperò, &c.* Profitetur enim, se omnes illos, qui baptisati in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Symbolum Apostolicum, & quatuor Conciliorum Oecumenicorum recipiunt, agnoscere pro FILIIS PATRIS COELESTIS ET ECCLESIAE CATHOLICAE, suisque SPIRITUALIBUS FRATRIBUS. In specie verò cum Calvinianis Syncretismum optimò jure sanciri posse existimat, idque cum primis ob CONSENSUM IN FUNDAMENTIS, quò de videatur *Judicium ejus de contro. Theol. inter. Luth. & Calvin. Francofurti anno 1650. editum, cum primis tb. 21. ubi Calvinianos hodiernos à vetustioribus secessionem fecisse, suamque sententiam in plerisque mutasse asserit.* Idem, qui ex schola ipsius prodiit, *Job. Latermannus*, statuit in *Disp. de Praedest. thes. 11, 20, 39. & alibi passim.* Atque haec, & similia *D. Calixti* tentata & molimina, quibus aliquam diversarum Religionum confusionem introducere allaboravit, inter alia quoque aperuit *Colloquium Thouruniense*, quò de videantur *Dn. Regiomontani in Anticrisp. 139.* Scilicet haec mens est *D. Calixti*, parùm referre, cui quis Religioni sit addictus, nullum enim in fundamento esse dissensum, sed quemlibet in sua Religione posse salvari. Unde & hoc spontè sequitur, praeter nostram, etiã Calvinianorum & Pontificiorum Religionem optimè se habere.

bere. Neque ergo fervidus est, neque frigidus, sed tepidus *Apoc. 3.*
v. 15. & utriqve parti gratificari satagit.

Tb. V.

Quod si jam hinc resuscitatus aliquis accederet Elias, 'annon
inveheretur in ejusmodi *συνυπνίσεις*: Usque quò claudicatis
in duas partes? si Dominus est DEus, sequimini eum; si autem Baal,
sequimini illum *1. Reg. 18. v. 21.* Nempe non saltem abominabilis
est Deo hujusmodi diversarum Religionum mixtura, vel Syncre-
tismus saltem inter easdem, si in fundamento non conveniant, sed
impossibilis quoque & frustranea. De quibus jam porrò videbi-
mus. Primò itaque conatus ille *D. Calixti*, dum diversarum Reli-
gionum asseclas in fraternitatem suam atque pacem Ecclesiasti-
cam recipere satagit, frustraneus est *ex parte sui ipsius*, ceu perso-
næ recipientis. Si enim recipere eos vult *D. Calixtus* in societatem
spiritualem, in *A. C. invariata* societatem ut recipiat, necessum est,
illius enim se membrum profiteatur. At verò (quod bonâ cum ipsi-
us pace ante omnia dixero) Nostrates Orthodoxi Theologi ipsum
D. Calixtum non agnoscunt pro membrò *A. C. invariata* *ἑνωσίας*
sic dictò: itaq; non video, quomodo ipsi integrum sit, alios à nobis
dissidentes in Confessionis hujus societatem atque unionem spiri-
tualem admittere. Cum primis verò observandum, quòd hoc ne-
gotium non sit unius personæ, sed pertineat ad omnes Imperii Ro-
mani Status, qui Protestantes dicuntur, quibus unius *D. Calixti*
cei personæ respectivè privatæ liberalitas nihil poterit præjudi-
care.

Tb. VI.

Deinde verò illud præsupponimus, si vel maximè hujusmodi
pacificatio ineunda sit, necessarium fore, ut inter nos & adversari-
os instituatur collatio, controversiæ ponderentur, & quantum in
iis pars una alteri cedere possit, observetur, id quod etiam consulit
Calixtus, seqve ad id paratum promittit. Jam verò in personis con-
ferentibus certæ requiruntur qualitates, certæ conditiones, de qui-
bus *Dn. D. Meyfartus* in *dissertat. Acad. de pace inter Eccles. Evangel. in-*
eundâ prolixius. Primò nimirum abesse vult Theologos tales, qui e-
lati superbiâ, se solos sapere putant, transmarinam, non patriam,
An-

Angelicam, non humanam Eruditionem sibi pollicentur, alios ve-
rò juxta se despiciunt, & tanquam bardos, blennos, fungos, trùcos,
& stipites nasò suspendunt ad uncò, nec veritatem ex inferioris
sub sellii viris audire volunt. *Secundò* nec tales adesse vult, qui in
pectoris sui scriniò singularia fovent placita, nec ab alio vel aliis
salubriter & meliùs se informari patiuntur circa doctrinam, sed
decreverunt, ex contracta obstinatione & induratâ animi perti-
naciâ Pharaonicâ pariter & Judaicâ, suum venerari ingenium, a-
deoqve omnia, quæ contra ipsorum præconceptas opiniones aut
fiunt, aut dicuntur, ob præposterum singularitatis studium, ferre
non possunt. *Tertiò* & illos abesse jubet, qui articulos fidei di-
sputant & judicant, non è clara Scripturæ literâ, nec accuratâ ea-
rundem collatione, multo minus ex analogia fidei, sed ex longa
temporum vetustate. Et deniqve *quartò* tales removet, qui parati
sunt aliis nescio quæ objicere, ad agnoscendos verò proprios næ-
vos nec parati nec periti, sed malunt cum scandalò Ecclesiæ, & ja-
cturâ animarum suarum litigare, & in suis conceptis opinionibus,
hactenùs mordicùs defensis, permanere, quàm æternâ Christi veri-
tatè quærere, aut externâ apud homines gloriâ & existimationè a-
mittere, aut in suspicionem vel erroris vel ignorantie incurrere.
Hæc inter alia plurima *Dn. D. Meyfartus*. Jam absit quidem à me, ut
D. Calixtum horum omnium accusare velim; interim remitto i-
psum ad propriæ conscientie forum, ut affectus suos probe, atqve
exploret, an fortè aliquant in oculis suis festucam ipsemet sit ani-
madversurus. Recordamur sanè adhuc, quòd scripserit *in Program.*
contra Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Scharfium, se ob aliorum indignationem
vel prætorie edicta sententiâ suâ minimè discessurum. Meminimus,
quòd *ibidem* minatus sit, nisi desierint Nostrates Theologi ipsius
Novitatibus contradicere, fore *imposterum miserrimam & perturba-*
tissimam Ecclesiæ conditionem, nullumq; certaminum, contentionum &
dissidiorum finem. Nondum obliti sumus, quantis invektivis no-
stros Theologos laceffiverit, quos nebulones, Schelme unnd Ch-
rendiehe/ignominiosè vocare non fuit veritus. Quæ & similia, *D.*
Calixtum non sine injuriâ insimulari posse eorum, quæ abesse de-
bent à Theologò pacem atqve Concordiam spirante, satis osten-
dunt.

dunt. Et talia si eveniunt in ligno viridi, in arido quid fiet? Si sociis & fratribus non parcat, quid expectabunt ab eo Adversarii? Rebus itaque sic stantibus, ex parte personae recipienis, nempe *D. Calixti*, frustraneus est circa pacificationem & concordiam labor. Quis enim Adversariorum in omnibus cedit *Calixto*? Quis indignationes & criminationes ejusdem patienter devorabit?

Tb. VII.

Atque hoc est primum obstaculum. Deinde verò ex parte personarum recipendarum frustranea quoque est omnis cura de sancienda Concordiâ. Ipsi namque adversarii, quam ipsis offert *Calixtus*, fraternitatem repudiant, atque Syncretismum ex animo detestantur. Quod Pontificios attinet, verum quidem est, illos amabatur amplecti manibus, quòd *D. Calixtus* eos spiritualis societatis consortes faciat; sed hi eundem pro suo fratre agnoscere renuunt. Quin potius ex eo concludunt, Nostrates perperam fecisse, à Romanâ Ecclesiâ discedentes. *Bellarmino* sanè Syncretismus non arridet *lib. 3. de Laicis c. 18.* quin *c. 19.* invehitur gravissimè in *Georgii Cassandri* (quem *D. Calixtus* egregiè imitatur) molimina. Catholici, inquit, non patiuntur in suo grege illos, qui ostendunt ullò signò externò, se favere *Lutheranis*. *Nicolaus Serarius* Syncretismum *Puccii* profligavit. *Adamus à Conzen* quantò odiò Religionum mixturam prosequatur, patet è *lib. 9. polit. c. 23.* In specie Syncretismum, quem parturit *D. Calixtus*, proseribunt *Moguntini*, eumque Chymæricam Religionum dissidentium compositionem vocant, vid. *Anat. Calixt. Erbermanni* sect. 1. dicunt, *Calixtum suâ pacificatione fidem Ecclesiamq; Dei funditus è medio tollere.* Item: *Calixti conatus non minus esse absurdos, quàm si quis flammam & undas, lupos & agnos in unam conflare naturam, aut cum Poetis Tragelophos & Hyppocentauros unire aggrediatur.* Iidem pacificationem *Calixti* centonem sacrilegarum heresium appellant, l. c. sect. 9. p. 37. Atheismos ipsius perstringunt, ob proscriptionem Heresium restitutionem in integrum. *ibid.* Syncretismum ipsius pronunciant Ecclesie adversari è diametro; it. *Calixtum substituere confusionem Babylonicam & speluncam latronum.* Denique Apostrophæ dirigunt ad *Brunsvicenses & Saxones*: *Viderint, inquit, boni Brunsvicenses & Saxones, quid mon-*
stri

*stri alar Helmstadium. Hæc sibi Moguntini; ex quibus judicare licet
de sententiâ Pontificiorum circa hoc negotium.*

Tb. VIII.

De Calvinianis res videtur speciosior, quippè qui ipsi pacem nobis obtulerunt aliquoties, sanctè què protestati sunt, sibi id unicè curæ cordique esse, ut concordia inter nos & ipsos inestur. Veruntamen larvâ, quâ se fratres simularunt & hodie què simulant, detractâ, patebit ad oculum, quid in pectore foveant. Nempe, verbis concordiam, re servitutem postulant.

Se fratres simulant, inimici cetera vivunt,

Lingva melos promit, mens aconita fovet.

Et primarii inter illos ipsos Pacificatores à pace & concordia fuerunt alienissimi. Quàm enim fuit vertumnus Bucerus? Quid non virus exspuunt in nostram de personâ Christi & S. Evcharistiâ fidem *Leges Anglicanae*? Et quid sibi volunt illa *Dan. Tossani* verba: *Si ego Caesar essem Romanus, omnes deberent esse Calviniani.* It. *Lutheranos Zelotas in Indiam & Americam ablegandos esse, & pulvis annuum maxillis digestâ ac preparatâ cibandos, &c.* Quid sanguinaria illa disticha, *Heidelbergensium, & Lampadianum*, de quò in *Mellisi hist.* p. 463. Quid tantæ persecutiones, *Bremensis, Hassiaca*, aliæ què in *Palatinatu, &c.* Quid, inquam, hæc & similia evincunt aliud, nisi extremè nos odisse Calvinianos? Et *D. Calixtus* eos profratribus agnoscit? Sed & aliàs improbarunt Syncretismum in Religione è *Reformatis Tigurini*, apud *Hutterum in Concord. Concord. p. 33* *Beza in annot. ad c. 12. v. 30 Matthæi p. 78.* alii què. *Piscator ad c. 38. Jobi, observ. 2. p. 374. Job. Latius in Compend. hist. univers. p. 766. & Rivetus in Prefat. animad. ad annot. Cassand. Syncretismum frustraneum, imò impossibilem esse judicant.* Afferunt idem obliquè *Reformati Thorunienses*, quando dixerunt, *se nihil omninò de sententiâ suâ remissuros, quod merito notat Dn. D. Hülsemannus Sess. 19.* Longè clariùs *Job. Bergius*, qui in publica disputatione Anno 1640. publicè testatus est: *Fateor, nos (Calvinianos) vos (Lutheranos) profratribus agnoscere non posse, quamdiu errores vestros fovetis & defenditis, referente id ipsum Excell. Dn. Preside in Prefat. Exam. doctrin. Eccles.*

B

Re-

Refor. circa artic. de personâ Christi. Atque hoc alterum est obstaculum.

Tb. IX.

Tertiò verò, & quod palmarium est; Syncretismus in Religione planè censetur impossibilis, respectu rei ipsius, seu controversiarum, quæ conciliari debent. De lanâ sanè caprinâ non est lis, sed ipsò FIDEI FUNDAMENTO, in quò non convenit nobis cum Adversariis. De Pontificiis id vel sole meridianò clariùs. Illi diversum docent de FIDEI PRINCIPIO, atque nos docemus; Ergò in fundamentò nobiscum non consentiunt. Controversia quippe de fidei principiò maximè est fundamentalis; idque viderunt Nostrates, ideò in *Colloquio Ratisbonensi* ante omnia de illâ cù Adversariis disputarunt. Ac si vel ulla quoad hanc quæstionem, potuisset fieri conciliatio, vel tum facta esset, hodie namque frustra expectatur, cum perpetua maneat contrarietas inter hæc Axiomata: Sola Scriptura S. est norma, est perfecta, perspicua, infallibilis veritatis, & summæ atque divinæ autoritatis, & quidem ex sese; & contrâ: Sola Scriptura S. non est norma, est imperfecta, obscura, veritatis dubiæ, autoritatem habet non ex sese, sed ab Ecclesiâ. Priò Nos, posterius Pontificii defendunt, vid. ex parte nostratiù *Schröderum, Gerbardum, Grosheim, & Vilhel. Nigrinum; Pontificiis, Andradium, Huntleum, Stapletonum, Bellarminum, Costerum, Gregorium de Valentia, Eccium, Gretserum, Tannerum, Pistorium, Becanum, Valerianum Magnum* aliosque. Et qui duo illa conciliare velit, næ is laterem lavabit. Circà Articulum de ECCLESIA, quanta inter nos & Pontificios contentio? Illi Ecclesiæ autoritatem collocant supra scripturam; nos id omnibus modis impugnamus. Quem illi Ecclesiæ caput indignant, hunc nos diris exsecramur, Romanū puto AntiChristum. Et quæ similia illic occurrunt, vid. è nostris *Meisnerum, Menzerum* im *Catholischen Neu Jahr/ Nicolauum Hunnium, Stegmannum, Keslerum* im *Pabstthumb/ Dankauerum* in *Anti-Christosophiâ, & Exc. Dn. Præsidem* in *disputationibus super A.C.* è Pontificiis *Bellarminum, Becanum, & Valerianum Magnum*. Adeoque vel maximè circà duos hosce articulos occupati sunt *Papiste*, illum quidem plus justò deprimendum, hunc supra quàm par est extol-

len-

lendum. Quod quàm diu agunt Adversarii, nulla speranda conciliatio. Ideoque ex ipsorum ordine Erbermann Jesuita in Irenicò Catholicò Helmstad. oppositò c. 2 p. 29. dilertè ait: *hinc manifestum est, rectè (hoc sensu) Josephum Hallum scripsisse Romam irreconciliabilem. Nam chaos magnum inter nos (Catholicos) & vos (quoslibet Sectarios) fixatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non poterint, (nisi amittendo totam fidem, quæ proximè & formalissimè in atomâ illâ INFALLIBILITATE DEI & ECCLESIAE fundatur) neq; illi huc remeare.* In doctrinâ de JUSTIFICATIONE, cum nos hominem SOLA FIDE justificari dicimus, illi (Pontificii) hominem NON SOLA FIDE, sed etiam per BONA OPERA coram Deo JUSTIFICARI asserunt. Vid. è nostris Battum, Höpsnerum, aliosq; è Pontificiis, Concil. Trid. Bellarminum, Becanum, Mejerum, &c. Quæ autem clarior contradictio. Et hæc conciliari debent? Finge tu mihi Christum & Belial concordés, & eris mihi magnus Apollo. Indica tu mihi medium, quò concilientur τὰ Ἀγrippῆδου ἐν ἀντιᾷ, nisi vel alterum eorum planè exterminetur. Profectò itaque nulla speranda Concordia, nisi vel altera pars sententiâ planè decedat, id quod ex nostrâ parte summa foret Religio, nec quisquam Nostratum præstabit. Ipse D. Calixtus de se fatetur, quòd ob aliorum contentionem & prætoria edicta sententiâ suâ minime sit discessurus; idq; in tailibus, quæ (ut ipse, licet falsò, putat) Scholasticis quæstionibus annumeranda sunt, nec ad fundamentum fidei pertinent. Quid ergo in fundamentalibus ab eò expectandum foret, quales fuere tres illi (ut cæteros taceam) jam enumerati cum Pontificiis controversi articuli. De Adversariis verò tantum abest, ut illud polliceri nobis possim, eos sententiâ discessuros, ut illi potiùs affirmant, id suæ fidei nefas esse, vid. *Moguntini in Anatom. Calixt. sect. 1.*

Tb. X.

Hæc de Pontificiis; accedimus ad Calvinianos. D. Calixtus eos in FUNDAMENTO nobiscum consentire asserit in *Judicio &c.* Nobis planè contraria est sententia. Assumamus articulum de PERSONA DNI. JESU CHRISTI, qui est essentialè fidei FUNDAMENTUM, *1. Cor. 3, 11.* Quæ nostra de hoc sit doctrina, non

Opus est prolixè adducere, patet è Chemnitio, Gerbardò aliisque.
Calviniani verò in hoc *FUNDAMENTO* non tantum à nobis
dissentiant, sed & penitus illud subvertunt, quando scil. negant
Communicationem idiomatum, negant Naturarum *περὶ χόρησιν*,
adeoque ipsam unionem hypostaticam, quæ nihil aliud est, quàm
duarum naturarum in unam personam conjunctio. Annon verò
hoc est personam Christi solvere? Atque hanc solvere, quid est, nisi ta-
lem de Christo doctrinam proponere, quæ non permittit fiduciam
nostram tutò in eum collocare? Solutam enim personam Christi, ces-
sat officii ratio seu communio actuum officii Christi, cessat etiam
unionis finis, qui est pro peccatis nostris satisfactio, & nostri cum
Deo reconciliatio. At istis cessantibus atque deficientibus evane-
scit fiducia, quam collocare debemus in beneficia Christi, per ac-
tus illos acquisita. Quod si non est evertere fidei fundamentum,
nescio quid tandem futurum sit. Hinc egregii illi doctrinæ Calvi-
nistice flosculi: *In Christo quidem duas esse naturas personaliter uni-
tas, sed eas nullam realem communicationem inter se habere, præter so-
lam nominum, quæ ex unione personali sequuntur, permutationem, ade-
oque verbaliter saltem Christum hominem Deum, & Christum Deum ho-
minem esse. It. Christo secundum assumptam humanitatem creata tan-
tum, finita, circumscripta & mensurata dona ex unione personali obti-
nisse, quæ cum Dei omnipotentia, omnipresentia &c: minimè comparan-
da sint, & esse hanc communicationem solum verbalem. It. solam huma-
nam Christi naturam pro nobis esse passam & mortuam. It. Carnem
Christi non esse adorandam, & qui id fecerit, eum esse Idololatram ma-
ledictum à Deo; Et quæ similia apud ipsos occurrunt. Vid. Orthodox.
Consens. p. 297. edit. Tigur. anno 1585. Admonit. Neostad. c. 3. p. 69, 70, 73. c.
11. p. 496. Danaus in examine libelli Chemnitiani de duabus in Christo
naturis, passim: aliique, quos longum foret apponere. Ecce tibi
hic egregium in articulo *FUNDAMENTALI* consensum! Quid
quod ipsi Calviniani non tantum locis citatis, sed alibi etiam nos
nostramque doctrinam de omnipotentia & omnipresentia Carnis Chr.
accusent, quod ea *FUNDAMENTUM* fidei lædat gravissimè,
quod omne consolationis & salutis nostræ *FUNDAMENTUM*
tollat atque evertat, Admonit. Neostad. c. 11. p. 496. c. 12. p. 589. Pareus in I-
ren.*

rem. e. 26. p. 342. quomodo ergò in eòdem nobiscum convenire possunt.

Tb. XI.

Solent autem hìc communiter excipere Syncretistæ, Calvinianos hodiè longè saniores esse, & ita suam de personâ Christi sententiam explicare, ut nulla obstet causa solida, cur à fraternitate atque orthodoxiâ excludantur. Quibus respondemus 1. quidem, Orthodoxiam non esse judicandam ex unicò Articulò, si vel maximè in eò rectè doceât, sed requiri, ut in omnibus nobiscum consentiant, si pro fratribus agnoscere volunt. 2. Notum est, quod una hirundo non faciat ver; sint quidam inter Reformatos Doctores, qui loquantur mitiùs, nondum tamen evictum est, quòd hæc eadem sit mens totius Ecclesiæ, quippe quæ (ipforum etiam Calvinianorum judiciò) non judicanda ex scriptis privatis hujus vel illius Doctoris duntaxat, sed publicis nomine totius Ecclesiæ editis; non enim inter hos vel illos (*Reformatum atq; Lutheranum*) Theologos, sed inter totas Ecclesias tentatur Syncretismus. 3. Positò tamen (sed minimè concessò) eandem esse totius Reformatorum Ecclesiæ sententiã, quam illi mitiorem jactitant, nondum tamen obtinent, ut credamus, quod illi volunt. Notorium enim est, Calvinianos plerumque aliter sentire, aliter loqui, linguam habere Lutheranam, mentem Calvinianam; quod ut exemplorum inductione probemus, pagellarum angustia non permittit. Lege, si lubet, *Excell. Dn. Præsidis Examen doctrinæ Eccles. Reformat. de personâ Christi, & quæ ei prefixa est, præfationem, & invenies, quod desideras. Saniè quàm invisã ipsi sit doctrina nostra de omnipræsentiã Carnis Chr. id vel ex *Amesio* patet, qui nos propter eam defensam hæreticos appellat *lib. 4. de conscient. c. 4. quæst. 4. p. 161.* *Paræus* expressè dicit: Ecclesiæ & conscientiæ nostræ hanc periculosam opinionem de Ubiquitate carnis Christi admittere nunquam potuerunt, *Iren. c. 4.* vide, quæ thesi præcedenti ex scriptis Calvinianorum produximus.*

Tb. XII.

D. Calixtus pro obtinendò Syncretismò, & probandò consensu in articulo hòc **FUNDAMENTALI**, excipit, saltem de mo-

B 3

do 3

do, quò in Christo sint duæ naturæ, quòve una alteri propria sua communicet, inter Nos & Calvinianos esse dissen sum, in re ipsâ verò minimè; at cognitionem illam modi non esse ad salutem necessariam, adeoque nec pertinere ad fidei fundamentum. Verba hæc sunt in *dedic. disput. de commun. sub utrâq;* p. 10. Sufficit credere unum esse Deum, qui Pater sit & Filius, & Spiritus S. Filium incarnatum esse, & hominem factum, &c. etiamsi non penetremus, quomodo una natura in tribus personis, aut vice versâ duæ naturæ in una personâ subsistant, nec assequamur. Nempe ex ipsius sententiâ non est necessum scire, quomodo duæ naturæ in persona sint unitæ, *παραχρηστικῶς* an *παρὰχρηστικῶς*, ἀΝΑΓΑΓΑΤΩΣ an ΔΙΑΓΑΓΑΤΩΣ? quis & quotuplex inter utramq; naturam communicationis modus, realis, an verbalis, ad personam solam, an etiam ad naturam. Si enim sufficit credere, unum esse Deum, qui Pater sit, Filius & Spiritus S. Filium incarnatum esse, & hominem factum, omnia, quæ præter hæc simplicia traduntur in Ecclesiâ, *παραρρηγὰ* fuerint. Sed responderet breviter *Dn. D. Danbauerus*, verum quidem esse de modis rerum non revelatis, quòd ii cognitu ad salutem non sint necessarii, sed idem non valere de modis in verbo Dei revelatis, qualis est hic modus, ut non saltem sciam, quòd in Christo sint duæ naturæ, & quòd Majestas atque divina Idiomata communicata sint Christo, sed etiam quòd modò hæc naturæ sint in Christo, & secundum quam naturam hæc Christo sint communicata. *Conf. ejus Mysteriorum Syncretismi.* Circà quem modum cum planè contrarium sentians *Lutherani* atque *Calviniani*, fatente ipsò *D. Calixtò*, quomodo inter eos convenire poterit de fidei **FUNDAMENTO?**

Tb. XIII.

Hæc circà locum de personâ Christi. In articulo de **COENA DNI.** quàm pulchrè scilicet nobiscum conveniunt *Calviniani.* Quæstio inter nos & ipsos agitur 1. de sensu verborum Institutionis. Nos τὸ πῶν ἰνίστημι; illi tropos fingunt, figuras, & quid non? verba Cœnæ voeant *verba prodigiosa & misera, imò impotentia,* vid. *D. Himmel. Colleg. Iren. f. 20. Calvinò. Papism. f. 15. & disp. 13. Calvinis. tb. 6, 7, 13.* 2. De Natura & Substantia hujus Sacramenti; illi solis elementis externis constare dicunt, nos negamus. 3. de ipsa participa-

tio-

zione. Nos ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam, illi virtutem, vel prout Paræus loquitur, Spiritum saltem corporis Christi & beneficia ejusdem nobis obtingere contendunt. 4. De modo, quò unitur corpus cum Pane, sanguis cum vino. Nos sacramentalem & mysticum; illi *ἁγιον* & significativum defendunt. 5. de manducatione Indignorum. Illi hos nihil præter panem & vinum accipere asserunt; nos eos etiam corporis & sanguinis Christi participes fieri affirmamus. 6. De fundamento & sede propria, ex quâ tota hæc disputatio definiri & decidi debeat. Illi caput sextum Evangelii Johannis, nos verba Institutionis agnoscimus pro sede fundamentali hujus articuli. Ecce tibi iterum egregium **FUNDAMENTO** consensum!

Tb. XIV.

Sed habent Syncretistæ nonnulla, quæ excipiant, ac quidem

1. de sola manducatione orali esse controversiam, in cæteris esse consensum. At verò id falsissimum esse, jam demonstravimus. Ac si vel maximè verum esset, nihilominus dissensus in hoc unico obstaret, quò minus Calvinianos pro fratribus agnoscere possemus.
2. Dicunt consensum esse in *REIPSA*, IN *VERBIS* solummodò dissensum. Ita scik. excipiebant jam tum temporis Zwingliani, cū inter Lutherum, Bucerum atque Ecclesias Helveticas tentaretur conciliatio. Verum & hoc falsissimum est. Audiamus Lutherum in respons. epist. ad Ernestum Ducem Brunsvicensem & Lüneburgensem: *Quod*, inquit, Bucerus ait, de verbis solummodò certamen esse, id vel cum capitis & vitæ meæ periculo verum esse optarim. Profectò si sic res haberet, controversia hæc tantò intervallò non durasset, imò nullò unquam tempore cœpisset. Vid. Hist. A. C. editam à Kirchnero, Selneccero, & Chemnitio, item Dn. Theol. VVitteberg. defens. Artic. X. A. C. contra VVolfium.
3. Eundem ferè in modum excipit Calixtus, asserendo, quod inter nos & Calvinianos conveniat de præsentia & manducatione corporis & sanguinis Christi in cœna, duntaxat **DE MODO** præsentia & manducationis esse dissensum. At hoc non obstare, quò minus cum Calvinianis Syncretismum inire nobis liceat. Verba ita sonant: *Stemus in solo, QVOD SIT nempe verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi, verba scriptura, ut sunt & jacent, retineamus.*

mus. QVOMODO sit, ne investigemus anxie. Via. respons. oppos. maled.
Theol Mogunt. vindictis lb. 22. Quibus gemina sunt, quæ habet *Pa-*
reus in Irenico p. 146. 149. Sed hîc iterum vel tribus verbis responde-
mus cum *Dn. D. Danbauero*, hunc modum, de quô controvertitur,
esse in verbo Dei revelatum, adque discrimen veri & falsi necessari-
um, ideoque nō sufficere, ut sciam⁹, quôd corpus Christi sit in cœ-
na præsens & manducetur, sed requiri etiam ut sciam⁹, quomodo
sit præsens, & quomodo manducetur, nisi *Ecclesiæ & Religionis*
puritatem indivisam confundere velimus. Vid. *ejusdem Mysterium*
Syncretismi. 4. Quod si itaque vel maximè etiam in re ipsa sit dissen-
sus, nihilominùs objiciunt, *Calvinianos* & olim paratos fuisse, &
hodie adhuc esse, si quid in iis desideretur, sententiam suam corri-
gere, & sese accomodare ad ὑποτάξιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων.
At reponim⁹ illis, etsi verum sit omninò, *Calvinianos* stimulare, ac si
unum idemq; nobiscum sentiant, verba etiam ita informare, ut
videantur ipsam *Orthodoxiam* asserere, nihilominùs hîc non ob-
stante, latet frigidus anguis in herba, & homines illi meris incedunt
Cothurnis. Bucerus, qui in sancienda *Wittebergensi Concordiâ*
totus defudabat, fundamentum *Conciliationis* ponebat in ambi-
guis formulis, quas utraq; pars pro se poterat interpretari. De
quô, ut & aliis vide *Hutteri Irenic. c. 20. & 24. Johannes Dureus* mul-
tum cedere videbatur in articulo de omni præsentia carnis Chri-
sti, deque orali manducatione corporis Christi in cœna; verbis e-
nim speciosis, & nihil nisi *orthodoxiam* præ se ferentibus, uteba-
tur. Sed quàm ille aliud in animo revera servaverit, quàm verbis
prodidit, id abundè satis testatur *ejus declaratio in inform. Brem. edi-*
ta p. 86, 92, 130. seq. nempe sub captiosò generalitatis involvulò lu-
sit. Et est hæc comunis *Reformatorum* praxis. Cujus declarandæ er-
gò addam exemplum mihi notum. *Dantisci Ministri Reformati*
tenentur subscribere & subscribunt etiam certæ *Notulæ*, quâ jura-
mentò confirmant, *se damnare errores Bezae, Zvinglii, & c. circa arti-*
culum de Cœna Domini. At quâ fide, quâve conscientia id faciant,
Deus novit. Hoc enim non obstante nihilominùs illi errores istos
constanter defendunt atq; propugnant. Vana ergò est exceptio,
quòd *Calviniani* parati sint in re ipsâ sententiam suam mutare atq;

ad

ad veritatē accedere. Ita ergō omnibꝫ præfidiis dejectis Syncretistæ,
tandem ꝑ. aliud quærunť refugium; dum enim vident, non sal-
tem de modo aut nudis verbis, sed re ipsā esse contentionem, nec,
quam jactant, Adversariorum emendationem esse sinceram, o-
mnium ultimò asserunt, quomodo cunq; se etiam res hīc habeat,
non tamen propterea à societate Ecclesiasticā esse excludendos ad-
versarios *Calvinianos*, cū Articulus, de quo controversitur, nem-
pe de orali manducatione corporis Christi, non sit fundamentalis
nec Catholicus, sed conclusio duntaxat & articulus Theologicus,
qui non præcisè omnibus necessarius. Ita *Paraus in Irenico* c. 13 *pa-*
team dicit esse præsentiam corporis Christi in pane, in qua nullum granum
fidei, nec succus consolationis p. 71. Idem obliquè innuit *D. Calixtus*,
dum enim asserit, Calvinianos nobiscum in fundamento fidei pla-
nè consentire, in articulo autem de orali manducatione corporis
Christi à nobis dissentire, utiq; hic articulus ipsi non erit funda-
mentalī. *Vid. ejus Judic.* Ad quæ respondemus 1. non de solā man-
ducatione orali, circā hunc locum de Coena Domini, esse contro-
versiam, sed de distinctis sex capitibus, ut thesi præced. indigitavi-
mus. 2. *Paraus* opponimus *Bergium*, qui in *Stoeremate suo* p. a. c. 15, 16,
17. p. 115, 125, 126, 130, 131, 132, 133 asserit, doctrinā nostram de orali mā-
ducatione fundamentum fidei subvertere. *Durch diesen Sauer-*
teig/inquit, wird nicht allein die Lehre des Glaubens / sondern auch
der Gottesdienst, versäuert. Cui conjungimus *Admonit. Neostad. c.*
11 p. 496. & c. 12. p. 569. idem affirmantem. Quā ergō conscientiā *Pa-*
raus, & cum eò *D. Calixtus* dicit, hunc articulum non esse funda-
mentalē? Imò verò *Paraus* opponimus ipsammet *Paraum*, qui ali-
bi, sui immemor, judicat, *dogma de invisibili Christi corpore in orbicu-*
lo panis latente, fundamentum fidei ledere gravissimè Irenic. p. 29. &
342. 3. Si controversia de orali manducatione non est fundamen-
talis, cur tantoperè contra eam digladiantur *Calviniani*, & cur pro-
pter eandem nos diris devoent, nec salvā conscientiā se illam
admittere posse asserunt? Ipse *Paraus in Iren. c. 4.* *Neg,* enim in-
quit, *Ecclesie & conscientie nostrae opiniones tam periculosas (ut nihil*
gravius dicam) scil. de ubiqvitate & orali manducatione admittere
unquam poterunt. 4. Addimus; Conclusiones Theologicæ, quas

vocat *Paræus*, si ex Scripturis secundum analogiam fidei Catholicæ sint deductæ, qualis hæc est, de orali manducatione, sunt de ipsâ substantiâ articulorum fidei, ita ut illæ haud minus, quàm hi, veli- gnorari, vel negari, vel in dubium vocari, salvò fundamentò salu- tis, ullò pacto possint, observatâ tamen distinctione certâ & legi- timâ. 5. Etiam si sententiæ veræ, de præsentia & orali perceptione corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, ignoratio exitiosa nō sit; negatio tamen & impugnatio ejusdem, qualis fit à Calvinianis, nō potest non esse pernitiōsa & damnabilis; quum concernat non ho- minis meri, sed Christi Θεσυδρωπ & Testamentum, & N. T. Sacra- mentum salutis nostræ causa institutum, ejusdemq; substantiam.

Tb. XV.

Hæc etiam de illo articulo; paucis adhuc quædam circâ arti- culum de PRÆDESTINATIONE. In eo planè à nobis dissenti- unt *Calviniani*. Defendunt enim absolutum Reprobationis decre- tum; ita *Calvinus lib. 3. instit. c. 23. §. 1. 3. 4. 5. 7. 9.* dicitq; id esse hor- ribile, crudele, injustum; *Boquinius in disput. Heidelb. Beza volum. 1. p. 417. Et in c. 9. Rom. it. resp. ad Colloq. Mompelg. p. 148. Rennech. in cat. aur. sa- lut. p. 37, 38. Paræus in c. 9. Rom. aliisq;.* Docent, Dei voluntatem in ne- gatio conversionis & salutis non esse feriam: Deum non velle omnes ad se ferio vocare, nec paratum esse omnibus media ad conversionem suffici- entia subministrare, nec velle omnibus Evangelium annuntiari: Deum, quos vocat, non vocare cum intentione salvandi, nec ipsis media ad salu- rem efficacia largiri: Causam reprobationis non esse in solo homine, sed maximè in absoluto Dei beneplacitò: Deum Patrem Christum non do- nasse omnibus redemptorem, sed aliquibus saltem, nempe eligendis; Chri- stum non mortuum esse pro omnibus hominibus neq; sufficienter, neq; effi- cienter, pro damnatis enim & reprobis nullò modo mortuum esse, & hoc as- ferere velle, esse vocem intollerabilem. Deum hominem creasse ad in- teritum & damnationem, prædestinasse eum ad peccata, & mortem. Et quæ similia portenta in ipsorum scriptis occurrunt: *Vid. Zwingl. tom. 1. oper. f. 364. c. 5. lib. de provid. §. c. 6. f. 365. Calvin. lib. 3. Inst. c. 23. §. 7. f. 193. Et commēt. in Gen. c. 3. p. 26. edit. Genev. anno 1595. Zanch. tom. 2. o- per. c. 565. l. 5. de natura Dei. c. 2. Bucer. enarrat. Epist. ad Roman. c. 1. p. 94. Beza vol. 1. tract. p. 181. Et in Colloq. Mompel. ad thes. 7. Württenb. de prædest. Piscat. dis. de prædest. thes. 3. §. 109. it. vol. 2. disp. 12. contra Schaf- man.*

man. thes. 10. p. 232. Toffan. in disput. Heidelb. anno 1589. d. 5. Julii habitâ
thes. 20. Synod. Dordrac. in Jud. provinc. p. 18, 23, 24, 116, 128, 140, 145, 159,
173, 198, 215, 217, 252. 262. 268, 292, 340. 341, 345, 536. & seq. 706, 738. & in
Jud. exter. p. 407, 512, 571, 573, 594, 605, 611, 626, 633, 659, 703, 739. Ecce ti-
bi denuò pulchrum in articulo FUNDAMENTALI consensum.

Th. XVI.

Sed occinit hîc nobis *Conradus Bergius*, controversiam de
universali gratiâ & meritò Christi non esse fundamentalem; *praxi*
Cathol. p. 753. At opponimus illi *Synodum Dordracenam*, cujus ma-
jor autoritas, quàm unius *Bergii*, illa autem judicat quæstionem
hanc esse fundamentalem, in *Jud. prov. p. 27. 169, 197, & in Jud. exter.*
p. 661. Cum *Bergio* ferè facit *D. Calixtus*, asserit enim saltem de
MODO disceptari, quò Deus ante operetur, h. e. ex fide prævisâ,
an absolutè prædestinavit Electos, at hanc disputationem esse de
quæstione duntaxat annata, &c. in *dedic. disp. de commun. sub u-*
strâq; p. 10. Eiq; herbam porrigit *D. Dreijerus* in *der Grörterung p.*
740. At quomodo fundamentale non censendum dogma, sine
quò fides nec concipi, nec foveri potest in cordibus nostris? Quò
devideatur *D. Nicolaus Hunnius* in *Ἐπεὶ de fundament.*
dissens. Calvin. & Luther. ex professo. Aliàs plerumq; illud objici-
tur, quòd *Calviniani* in hoc articulo suam sententiam penitùs mu-
taverint, & idem jam nobiscum doceant. Facit hoc *D. Calixtus* in
Judic. thes. 21. & Latermannus disp. de prædest. passim, gratulando tum
Dordracenis, tum Thoruniensibus de Supralapsarianismo, aliisque
pernitiosis erroribus sepositis. Sed falsa sunt quæcunq; dicuntur.
Calvinianos enim sententiam non mutasse patet ex *Synod. Dordr. in*
Jud. exter. p. 637. & Jud. prov. p. 161. 247. Confess. Thorun. n. 5. adhuc
hodie meritum Christi particulare statuunt, teste *Riveto, L. Crociò*
diad. disp. disp. 10. thes. 44. p. 596. vid. Cens. Argentorat. Loge Maccoviù,
quos non reperies flosculos? Vel manibus enim palpabis, recentio-
nes nihilo Antiquis esse mitiores. En exemplum. *Johannes Bergio*
im Unterscheid und Vergleichung verbis quidem disertè negat, re-
probationem factam esse ex absoluto Dei beneplacito p. 117. nihil
minùs tamen affirmativa ex constanti ipsius hypothese ultrò se-
quitur. Statuit enim p. 115. 119. Deum ex absoluto beneplacito quos-
dam non elegisse ad eam gratiam, quâ fidei possent fieri participes
sicut

sicut cæteri, quodq; ipsis fidem largiri nunquã voluerit. Quod in specie *Dordracenos* attinet, si quæratũr, an illi supralapsarianismum seposuerint? respõdemus, quod lingvã paulatim mutarint. nõ mentem. Nã adhuc hodie propugnant absolutum decretũ, cui supralapsarianismõ innititur, & ex eõ necessariõ resultat, vid. *Synod. Dordrac. c. 1. art. 15. f. 343. & in Jud. exter. f. 505. Spanheimius, Rivetus, aliq; fatentur, Supra- & Infralapsarianismũ in re ipsã & sententiã convenire; idẽq; testatur Collatio Hagensis f. 25. edit. Petri Bertii an. 1616. Quid quod Dordraceni duriores Antecessorũ suorũ phrascs rejicere noluerint, quõ de ita D. Hoë in der unuermeidlichen Rettung c. 25. f. 373. Obwohl die Engellãndische/Bremische/Hessische/und andere Theologi für gut und rathsam gehalten/dz man etliche harte und unbequeme Neben/die in etlicher Reformirten Doctoren Schrifften gefunden werden/verwerffen solte/so hetten doch die fürnehmste darein nicht willigen wollen. Vid. *Synod. Dordrac. f. 338. & confer Censur. Argent. itemq; Censur. Rev. Minist. Gedanensisc. 2. punct. 5. De Thoruniensibus confer eandem Censuram Dantisc. l. c. & Cens. Argent. p. 42.**

Tb. XVII.

Et hæc etiam circa Locum de Prædestinatione. Adeoq; in tribus Cardinalibus & fundamentalibus articulis dissensum ostendimus inter nos & Calvinianos, unde necessariõ sequitur, quod eos pro fratribus agnoscere neuti-quã possimus. Demonstravit alioquin D. Dn. Hutterus in articulo de JUSTIFICATIONE, ut & de BAPTISMO Calvinianos penitũs à nobis dissentire, adeoq; fundamentum fidei evertere in *Irenic. p. 25, 27.* Nos hic subsistimus, & claudimõ verbis *Luther. ex Tom. 7. Jenens. f. 318. p. 2.* Es sahen wol ist etliche Klüglinge an zu sicken / wollen den Sachen rathen/und den Hader schlichten / geben für/man solle auff beyden Seiten weichen und nachgeben. Die lassen wir zwar machen und versuchen/was sie können; gönnen ihnen die Mühe wol: werden sie aber den Teuffel fromm/und mit Christo eins machen/ so sind sie die erste. Ich halt aber/es sey mit solchem Glückwerck eben (wie *Sirach Cap. 22.* saget) als wenn man Scherben wolte zusammen sicken. Und sind zwar bereit der Schuster viel gewesen/die sichs unter standen/ aber auch umbsonst gearbeitet / und beyde Drath und Stich verlohren In andern Sachen/was unsers Thuns ist/ oder Ceremonien unnd dergleichen eusserliche Dinge betrifft / da mag man sich vergleichen und sicken/was man kan. Aber was den Glauben und Christi Reich belanget/da man seinen Scepter wil beugen unnd ungerade machen / da will er kein bessern noch sicken haben/und so man sichs unterstehet / so macht mans nur damit ärger/dz mans gar verleurt. Denn diß Scepter sol und muß ganz unnd gerade bleiben/ohn alle Brüchen und Lücken/als die Regel und Maß/darnach man gläuben und leben soll.

F I N I S.

05 A 1159


ULB Halle
003 766 233 3



101A







I. N. D. N. J. C.
DE

CONCORDIA

ATQVE FRATERNITATE

SPIRITUALI S. ECCLESIA- STICA

DISSERTATIO THEOLOGICA,

Quam

Annunte Supremò Numine

In celeberrima VVitebergensi Academiâ

Sub Præsidiò

Viri pl. Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. ABRAHAM CALOVII

S.S. Th. Doctoris, ejusdemq; Prof. Publ. longè celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori, & Consistorii Ecclesiastici Circuli Electoralis Assessoris gravissimi,

Dn. Præceptoris & Promotoris sui summopere observandi

publico examini submitte

MICHAEL BÜRICH, DANTISCANUS

Borussus, Autor & Respondens.

Ad diem 23. Octobris, horis antemeridianis, in Auditorio Majori.

Excudebat MICHAEL WENDT,

ANNO clò lœc LI